

~~Alte Fe.~~

R



19.

22

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

EXPENDENS

OCCASIONE ART. XXX. C. C. C.

QUÆSTIONEM:

UTRUM UNUS TESTIS
FACIAT TORTURÆ
LOCUM?

QUAM

AUSPICE NŪMINE DIVINO

EX DECRETO ET AUCTORITATE AMPLISSIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ

PRAESIDE

VIRO PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. FRIDERICO ULRICO PESTEL,

J. U. D. EJUSDEMQUE ET MORALIUM PROF. ORDIN.
P. T. ACADEMIÆ RECTORE,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRI-
VILEGIA DOCTORALIA RITE ET SOL-
LENNITER OBTINENDI,

AD DIEM NOV. ANNO M DCC XXVI.

PUBLICÆ EXCELLENTISSIMORUM DNN. PROFESSORUM
DISQUISITIONI SUBJICIT

AUTOR

BODO HENRICUS MORGENSTERN,

GRÜNINGA - HALBERSTADIENSIS.

RINTELII, TYPIIS JOH. GODOFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.

19.



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
 EXPENDENS
 OCCASIONE ARAE XXX. C.C.C.
 QUESTIONEM:
**UTRUM UNUS TESTIS
 FACIAT TORTURAE
 LOCUM?**
 QUAM
 AUSPICE NUMINI DIVINO
 EX DECRETO ET AUCTORITATE AMPLISSIMAE
 FACULTATIS JURIDICAE
 PRAESIDE
 VIRO PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
 ATQUE EXCELLENTISSIMO
DR. FRIDERICO JULICO PESTEL
 J. U. D. PUBLICE ET MORALIUM PROF. ORDIN.
 P. T. ACADEMIE RECTORI
 PRO LICENTIA
 SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRI-
 VILEGIA DOCTORALIA RITE ET SOL-
 LENNITER OBTINENDI
 AD DIEM NOV. ANNO M DCC XXVI
 PUBLICE EXCELLENTISSIMORUM DNI. PROFESSORUM
 DISPOSITIONI SUBJICIT
 AUCTOR
BODO HENRICUS MORGENSTERN
 GRÜNINGAE JALHRESTADTINUS
 KINZEL, THE-JOH. GODEFR. ENK. ACAD. INGER.





B. C. D.

§. I.



Si uniuscujusque judicis,

in causa controversa civili jus dicturi officium postulat, ut prius de circumstantiis ambigui facti negati sit sollicitus, quam ad decretorium progrediatur judicium, vix negotiorum forensium peritus negabit, id ipsum in rebus criminalibus curate esse servandum. Præpostere enim, cyclopicoque more ibidem procedendo, & tria illa Prætoris verba, *do, dico, addico*, temere & ex potestatis perperam affectatæ plenitudine mera ex fiducia Magistratus effutiendo, judicaret ut cæcus de coloribus, surdus de auditu, damnatumque, si non semper irreparabile, tamen gravissimum in vitam, famam & membra alicujus innocentis grassando inferret. Quocirca ut hos scopulos sollicite vitaret, nullaque in devia abriperetur, legibus quidem est permissum, ut in quibusdam

A

civi-

ostenditur, hunc ordinem, præsertim in causis criminalibus, observandum esse, ut post perfectam probationem feratur sententia, LLque obstantes resolvuntur.

civilibus causis, ac speciatim in istis, quæ difficillimæ probationis, item in summariis & in ipsis criminalibus, quatenus de reorum agitur favore *v. DD. apud Lauterb Comp ff. tit. de probat. & præsumt.* probationes etiam imperfectæ, demonstrationes, & probabilia argumenta sufficere videantur, sicque *l. 10 C. d. secund. nupt. cum Nov. 115. C. 3 §. ult.* amice conspirat: ast in delictis gravioribus, ultimum supplicium, vel etiam pœnam corporis afflictivam ingredientibus, oportet, probationes, luce meridiana clariores præcesserint *l. ult. C. de probat.* a qua non abludit *l. 6. de accusat.* cum *summatim & de plano* cognosci, non semper idem apud Quirites significaverit, planum enim alto, seu sellæ curuli, tribunali impositæ, opponitur saltem, & sic multa, quæ summatim cognoscebantur pro tribunali, non de plano expediri debuere, de quibus *v. G. Noodt de Jurisdictione & imperio l. 10. C. 10.* indeque dicta lex non excludit plenæ probationis in fustigatione dictanda necessitatem. Quin ipsum rectæ rationis dictamen, legesque Divinæ positivæ in albo sacrarum pandectarum reconditæ *v. Exodi 13. v. 14. & 17. v. 4. 5.* comprobant, tum demum, si post diligentem judicis investigationem certa ac explorata fuerit res, pronuntiandum esse. Quam constitutionem Divinam, utut forensem eo lubentius in partes voco, quo magis sum convictus, sapientiam, quæ inest istis legibus, multis parasangis superare illam, quæ in Lycurgi, Draconis, Solonis, 12 tabularum legibus deprehenditur, & quamvis omnia prudentum responsa, Præ-

Prætorum edicta, leges, plebiscita, Sæta, Constitutio-
nes Principum iisdem subjungantur, loco tamen
omnia ista cedere debere juribus a summo felicitatis,
salutisve publicæ ac privatæ fonte profectis, &
non magis a seculi præsentis genio alienis, quam in-
stituta Græcorum, a Quiritum, horum a nostris
moribus discrepant, & tamen non male servantur
usu,

§. II.

Factum itaque in processu qualiquali, accusa-
torio, inquisitorio, cum sit ad liquidum perducen-
dum & probatio necessario concludens supponen-
da, *Carpzov. Praxi crimin. P. 3. q. II. n. 6.* non atti-
net varios artificiales & inartificiales probandi mo-
dos ex variorum compilatis scriniis excutere, &
quousque unus alterve in criminalibus vacillet sub
incudem vocare, adeat cui volupe est commentato-
res ad *Nemesin Carolinam art. 62. seq.* potius sine
mora ad caput causæ progredior, & cardinale hujus
Diatribæ argumentum, illuc collineans, *utrum in sit
aliqualis semiplenæ probationis vis depositioni unius
testis omni exceptione majoris, an vero testimonium
ejus viribus ejusmodi destitutum a limine judicii crimi-
nalis sit rejiciendum plane?* licet autem *N. Vigelius
in præfat. constit. Carolin.* existimet, optimum con-
siliū servandi status, ac Turcicorum armorum re-
primendorum in veteri Juris prudentia recuperan-
da, ac militia legali hoc modo rectè instituenda esse
fitum, tamen malui hanc materiam loco specimi-
nis inauguralis feligere, quàm detribus posthumi

*Status con-
troverse
aperitur. si-
mulq; doce-
tur, quare
hoc thema
aliis per-
plexis casu-
bus J. Civ.
sit prala-
tum.*



capellis, aut de singularibus, novis, paradoxis, ideoque ferme incredibilibus casibus in *l. Neratius 63. d. condict. indebiti. l. ei qui solvendo 88. de hered. instit. l. aliquando 107. de condit. & demonstrat. l. satis constat 22. de J. Patronatus l. duorum 49. de operis libert. l. si ita scriptum 37. de statu liber. l. item si 9. de stipul. servor. existantibus differere, quia instar apum satius semper est visum, favos colligere, unde dulce nutrimentum in foro & vita civili tandem aliquando delibare fas foret, quam difficiles excutere nugas.*

§. III.

*Traditur
l. 3. §. 2. d.
test. facem
tot varian-
tibus DD.
opinionibus
prætulisse.*

Quod si vero paulo penitius inspexerimus, ex quo fonte DD. abinvicem circa prædictæ quæstionis decisionem perquam variantium sit enatus dissensus, non inanis conjectura esse videtur, ipsum HADRIANUM Imperatorem suo rescripto in *l. 3. §. 2. ff. d. testibus* conspicuo, facem prætulisse huic malo, siquidem VALERIO ibidem respondit, quæ argumenta ad quem modum probandæ cujusque rei sufficiant, nullo satis certo modo posse definiiri, sed ex sententia animi sui Eundem æstimare debere, quid aut credat, aut parum sibi probatum opinetur, add. *l. 13. d. testibus*. Inde enim omnibus regulis, exceptionibus, limitationibus, nos carere posse censent varii hodieum florentes JCTi, neque ulterius dispiciendum esse, utrum sit testimonium in propria causa, senum, decrepitorum, impuberum, parentum, liberorum &c. admittendum, sed cuncta quæ de fide testium proponuntur, unice ex arbitrio judicis esse metienda, illuc-

illucque tanquam ad anchoram sacram esse recur-
rendum.

§. IV.

Verum licet saepe numero adeo incertus ac
vagus sit probandi modus, ut uno deficiente ad alium
jure propitio recurramus, *Lauterb. comp. pand. tit.
de jure jur. p. 182. verb. vel probaturus defecerit, ibi-
que DD. Coccejus J. civ. contro. d. tit. Q. 25. seqq.*
Licet et am judex ex animi sui sententia æstimare
debeat quanta sit dignitas, numerus, ac fides testium
ac pro renata fidem tribuere plenam vel denegare,
iisdem queat, non tamen inde confit ex mero judicis
arbitrio legum cancellis hoc in argumento non ad-
stricto sumendum, quod ex usu est. Rerum enim
& negotiorum periti fateri necesse habent istud ar-
bitrium potius quovis restringendum esse modo,
quam ampliandum, cum alioquin plus justo illud
extendant ipsi fiducia magistratus. Neque enim id,
quod de mora *in l. 32.* dicitur, eam magis facti quam
juris esse, ad ipsam probationem eo usque referri
potest, aut pertinet, ut nulla certa norma ac regula
mille istæ ampliaciones, limitationes, contradictio-
nes, similesque salebræ, quibus hæc probationum
materia obnoxia videretur superari, & effrenis simu-
landi, mentiendi, celandi libido aliqua ex parte ad
liquidum perduci queat, quin potius non inusitatum
in jure est, aliquid magis esse facti, quam juris præ-
dicari, addique quod difficulter definiri queat, & ta-
men constitutione quadam vel juris auctorum
quæstione decidi id potest, decisumque est. Sic
Feu-

*Verus sen-
sus dicti
textus pro-
ponitur, ac
exemplis
mora, felo-
nia, ac in-
teresse illu-
stratur, sæ-
pe in LL
aliquid ma-
gis in facto
quam in
jure confi-
tere, dici,
& tamen
lydium la-
pidem juris
ibidem non
desse.*

Feudorum compiler 2 *feud. 23.* censet, causas feloniam sub certa aliqua regula aut definitione rotunda non posse comprehendi. Et in *l. 14. pr. d. div. tempor. prescript.* legimus, de accessionibus possessionum nihil in perpetuum neque generaliter definiri posse. Tandem in *l. 24. d. R. J.* traditur, quatenus alicujus interest magis in facto, quam in jure consistit. Noto vero notius est, non omnem normam deesse, secundum quam talia normata queant examinari decidique. Sane quomocunque etiam in ceteris sese res habeat, illud pro certo assumo verba dictae *l. 3. d. testibus: alias numerus testium* nullo modo hunc inferre sensum, quasi etiam a Judicis pendeat arbitrio, uni an pluribus credere velit, testibus, sed illud saltem velle, classici quantumvis non sint testes, omnique exceptione majores, numerum tamen, dignitatem, auctoritatem confirmare rei, de qua quaeritur fidem, indiciumque praebere, indubitatum in civilibus, in gravioribus vero non sufficere ad condemnationem ordinariam, sed deum ad id, ut vel extra ordinem coerceatur, vel torturae subjiciatur, vel juramento sepurgare reus debeat, sicuti *Carpzov. Pr. crimin. P. 3. q. 116. n. 50.* seq. ex vero docet.

Ex natura probationis & lege scripta, unum testem nihil probare, evincitur.

§. V.
 Destrueta itaque arce contrariae sententiae subnixae *l. 3. & 13. ff. de testibus* falsa explicatione, restat ut videamus fundamenta, quibus comprobatur, unum testem nullam vim probandi semiplene, esse delictum perpetratum, inferre. Quem in finem
 ar-

argumenta tam ex J. civili Romano, quam ex natura probationis lubet mutuari. Cum enim sacratissimus Imperator CAROLUS V. in sua Nemesi identidem provocet auf die Sage seiner Vorfahren/ und die gemeine Kaysersliche Rechte v art. 120. art. 126. c. c. voluit omnino in casibus obscuris ac non certo definitis recurrendum ad jus scriptum, lucemque inde ad fundendam esse materiæ. Voce quippe Kaysersl. Recht non potuit compilerator qualis qualis demum fuerit, sub intellexisse Pontificium Jus, uti Dn. Thomasius in dis. de Occasione, conceptione, ac intentione Constitut. crimin. Carol. §. 36. lit. e. conjicit, sed interpretationis bonæ ex origine, loco, ac nomine petitiæ regula postulat, ut Jus Cæsareum intelligamus, si vel millies Bambergensis Episcopi Georgii ex pinceris de Limburg constitutio criminalis fuerit dux itineris, quod in concinnanda sua ordinatione criminali ingressi sunt Consiliarii Cæsaris CAROLI Vti, prout censet idem Dn. Thomasius vid. summarias relationes petitas ex Bibliotheca Thomasiana Part. 8. p. 7. qua de re tamen non immerito dubitat. Dn. Kress. in præfat. comment. succinctæ inconstitut. crimin. §. 12. seq. Quo circa decantatam CONSTANTINI M. legem 9. C. d. testibus ad Juliarum Præsidem emissam, in partes voco, ubi manifeste sanxit, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat. Nullo negotio inde liquet unum testem nulli torturæ, nulli territioni locum facere posse, cum nequidem audiatur, sed a fo-roarceatur, nullumque examen subeat. Quod adeo

ve-

verum, ut nec Socratis, nec Aristidis, nec Phocionis nec alioquin unius, vitæ honestate, vel natalium splendore conspicui hominis sit attendendum testimonium. Quin? quod ipsi principes legibus licet soluti, legibus tamen vivant, dignumque putent, Majestate regnantis, legibus se alligatos profiteri v. *S. f. F. quib. mod. testam. infirm. l. 4. C. d. legibus conf.* tamen lepidum testimonium [quod habet *Dn. Thomafius, in cogitat. super variis negotiis forensibus. Tom. 1. pag. 159.*

§. VI.

*Falsa interpretatio
l. 9. C. de testibus arguitur.*

Rebus ergo ita se habentibus ad speciem gravis, re ipsa inanis est. *A Vinnii lib. 1. select. quest. cap. 44. & Joh. Voetii. Commentar. ad ff. tit. de jure jur. §. 28.* conjectura, quasi mens *Constantini M.* dicta in lege istuc redeat, non quidem uni testi plene credi, inopiam tamen probationis inde effici, hanc vero causam reddere dubiam, ac juramento suppletorio perfici, eodemque collineare effectum *Caji in l. 31. d. jure jur.* & modum loquendi veteribus familiarem, quo per frugum, vini, amicorum, ærarii inopiam intelligitur, non quando nihil plane suppetit, sed quando quantum satis est deficit, idem denotare. Tandem ne quid desit, addunt *l. 5. 6. C. de probation.* ubi instrumenta domestica, si non aliis quoque adminiculis adjuventur, per se sola ad probationem non sufficere dicuntur, ergo a contrario, si aliunde adjuta sint, plenâ posse facere fidem censent. Sed, si mihi licet obstrepere tantis nominibus; quoad solidam juris Civilis culturam alioquin non satis laudandis, putarem, nul-

nullo modo hoc ex textu cogi posse, nisi vim eidem in
 ferre velimus. Quis enim fando audivit? unius
 nominati testis testimonium causam reddere dubi-
 am, cum secundum clara dictæ legis 9. *C. d. testibus*
 verba ne quidem sit audiendus, eum inopiam pro-
 bationis inferre? cum pro non admissibili habeatur;
 an forte non entis tanta erit adfectio, ut iudex divi-
 nando queat adsequi, qualia ejus elogia hæcenus in
 scrinio pectoris retenta sint futura? Credat Judæus
 Apella. Potius hæc causa apud præsciæ vi scriptores
 & juris civilis architectos dicitur dubia, quæ ita
 comparata est, ut iudex incertus sit animi, quorsum
 se vertat, & ob abundantiam ac nimiam copiam pro-
 bationum ab utraque parte occurrentium nesciat,
 utrum potius absolvat, vel condemnet. Sic enim
Juvenalis & *Terentius* cenam dubiam appellant, ubi
 tantæ erant adpositæ dapes, ut convivæ hæsitarent,
 quas potissimum caperent. Sic *Apulejus* l. 5. *meia-*
morph. sive de asino aureo, in fabula de Psyche, & de
Cupidine vocem inopia alio longe in sensu sumsit, ac
Vinnius supra citatus: *Conscio, inquit, lumine vultus*
ejus adspexi, video mirum divinumque prorsus specta-
culum ipsum illum Deæ veneris Filium, ipsum inquam
Cupidinem leni quiete sopitum &c. dum tanti boni
spectaculo percita, & nimia voluptatis copia turbata,
fruendi laborarem inopia, casu scilicet pessimo lucerna
fervens oleum rebullivit in ejus humerum. Psyche
ibi non defectu voluptatis laborabat ac de eo quere-
batur, sed fatetur disertis verbis, tantâ ubi vis præsto
fuisse copiam, ut incerta fluctuaretur animo, qua

potissimum parte illecebrarum voluptatis frueretur, *conf. G. Noodt lib. 3. Probab. J. Civ. cap. 6.* Imo ipse Modestinus in l. 10. de J. Fisci quæstionem dubiam vocat, ubi utriusque probationes æquipollent, exitumque Judex quærit, non invenit, adde *Antb. Matth. Disp. de jud. 10. th. 21. seq.* Quod si id exemplo illustrare fas est in tritura forensi obvio, lubet sequens ex ipso alioquin dissentiente Voetio d. l. transcribere, ubi si quis instrumento publico probet, sibi stipulanti centū aureos calendis Januarii, Romæ promississe eosdem Tirium, hic verò simili instrumento doceat, toto illo die, se absentem alibi fuisse atque ita Romæ non promississe, ultra Garamantas ac Indos foret relegandus, quisquis demum pronunciaverit, hanc causam extra omnem dubitationis aleam positam esse, ob id quod defectu probationum laboret, cum nimia ejusdem copia in utramque suppetat partem.

*Funda-
mentum
certitudi-
nis mora-
lis, quæ in
est duorum
testimonio
testium,
adfertur in
medium.*

§. VII.
Quod si vero paulo penitius inquisiverim in rati-
onem, quæ Legislatorem moverit, ut regulariter,
depositioni testium duorum classicorum demum
plenam fidem haberi sanxerit, sic certe censeo, sic
animum induco meum, exinde quidem mathemati-
cam certitudinem dici ac cogi non posse, quod cum
quidam testes, alioquin omni exceptione majores,
se nihil gratiæ, perversisque adpetitionibus daturus,
nec aliud pectore clausum aliud lingua promptum
habitueros, sed locum se expositioni rei sic & non aliter
gestæ concessuros juraverint, atque ita juris servato
ordi-



ordine rite deposuerint, moralem tamen & sui generis inde enasci statuo. Qui enim solum juramentum, judiciariiq; ordinis, exactissima licet observatio operarentur veritatem evidentem, hasce non alias facti commissi fuisse circumstantias, quid enim si decepti sint testes alioquin honesti, & sic bona fide errent? quid si occultis animi passionibus excœcati in devia abripiantur, sicque & ipsum Judicem qui sane καρδιογνώστην agere nequit & ipsi seducant? Equidem juramento quædam est, secundum illud Poetæ, sine nomine proles, trunca manus, trunca pedes, tamen impete magno advenit, atque omnem vastat stirpemque domumque, & sic quilibet suæ salutis æternæ non immemor, nullum vinculum ad fidem adstringendam arctius ipso jurejurando existimare debebat, verum an unusquisque sapit & bonum caducum ac temporarium æternæ ac radicatæ felicitati præferre solet? Nonne potius bonum præsens titillat ac pungit identidem, bonum vero remotum flocci penditur & censetur umbraticum? Est jurandum saltem cautio majusque firmamentum fidei datæ, non ergo constituit negotium, sed illi saltem accedit, & qui non suevit cum Scythis colendo fidem jurare, vix a perfidia, Deo licet invocato teste, se patietur absterreri. Absit itaque dixisse, cum *A. Gailio* totam substantiam depositionis testimonium, in juramento consistere: *lib. I. obs. 101.* vel cum *J. Philippi obs. Jur. Pract. decis. I. obs. 80. n. 5.* pronunciasse: in juramento omnem depositionis vim consistere. Si enim inde esset vis ac efficacia

depositionis metienda, illud juramentum clericis in
l. 25. §. 1. & auth. sed iudex C. de Episc. & clericis, non
potuisset remitti, vel etiam ipsi litigantes huic solen-
nitati legali renunciare, fideque injurata non pos-
sent acquiescere, arg. l. 38. ff. de pactis, si semel lege
publica fuisset statutum, ut quilibet testis jurisjurandi
religione arctaretur, & tum demum fides ipsi habe-
retur, quod ipsum tamen omni jure secundum c. 39.
x. de testibus fieri potest. Et quis Reges ac summos
imperantes ad juratum cogeret testimonium, neque
putaret fidem regiam instar jurisjurandi fore?
Unicum itaque fundamentum, cui hæc innititur,
certitudo moralis, punctum vix sine latitudine in-
ventura, est, quodamice variorum hominum, idem
factum cum omnibus essentialibus circumstantiis
eodem modo exponentium, judicia conspirant, ut
vix justa queat enasci suspicio, fallaciam fuisse com-
missam, conspiracyonem, uti super facto Susannitico
præcessisse, prævaricationem contigisse, conf. Dn.
Cocceji in Jur. Civ. contro. tit. de Probat. qu. 1. Dn.
Thomas. in Diss. de Fide juridica §. 54. Quod si enim
contradictio obstativa, uti loquuntur, in testium ro-
tulo occurrat, si harmonia ac luculenta consonantia
in auras vanescat, si testium essentialis dissensus elu-
cescat, nihil actum esse intelligitur, l. 4. C. d. edendo
adplicatur, omnisque producens causa cadit, licet
processus sollemnia ad unguem fuerint observata,

§. VIII.

Casus, in
quibus vel

Quæ supposita qualis qualis certitudinis, te-
stium depositioni quæ inest, si in rem nostram præ-
sen-

sentem trahamus, nullo negotio confit, exulare hoc
veritatis, fideique Juridicæ fundamentum in uno
teste, adesse inbinis. Non quidem me fugit, dari
quosdam injure casus, ubi jus nostrum plures scisci-
tatur, uti a) in causa depositi *tres Nov. 73. c. 1.* & in
quasi publica hypotheca, *L. 11. C. qui potiores in pigno-
re. β)* in imperiti literarum contractu *quinque d.
Nov. 73. c. 8.* item in probatione soluti debiti, com-
prehensi instrumento, *L. 18. d. testibus*, item in
codicillis aliaque minus solenni ultima voluntate *L.
ult. c. d. Codicillis*; *L. ult. c. de Fideicom.* γ) in testa-
mento *septem §. 3. J. L. 20. c. d. Testam. it.* in divor-
tius *L. 9. d. Divortius d.)* in testamento cæci *octo L. 8.
qui testam. fac. possunt*, & vicissim aliquando testi-
creditoris in causis dubiis *L. ult. §. 5. v. sin. autem c. d. J.
Domin. impetr.* statur etiam juramento creditoris
super residuo pretii pignoris venditi, & alioquin vel
ob conventionem partium, vel ob personam & offi-
cium publicum testantis, vel ob alia argumenta con-
currentia unius testimonium sufficit. *v. L. 14. d. dot.
præleg L. 5. §. 13. de reb. eor. qui sub. tut. L. 21. in fin. c.
ad L. Corn. de falsis. Nov. 73. c. 7.* Verum paucissimæ
ejusmodi exceptiones firmant regulam in casibus
non exceptis, efficiuntque, ut alioquin secundum
omnia mundi Jura in ore duorum consistat veri-
tas. Sic enim *Num. 30. v. 5. Deuter. 17. v. 6. Job. 8.
v. 17. 2. Cor. 13. v. 1. Hebræor. 10. v. 28.* jus Divinum
loquitur, *L. 12. de testibus* jus Civile idem ingemi-
nat, *C. 5. c. 10. & 23. X. de testibus* jus Canonicum
hoc

plures vel
pauciores
testes re-
quiruntur,
subjiciun-
tur, conclu-
diturque
quoad o-
mnia mun-
di jura a-
lioquin
pramissam
regulam
sanctam
testamque
servan-
dam.



hoc tantum; paræmia Germanica ein Zeuge kein Zeuge
 de qua v. *J. Nic. Hertium, I. paræm. 60.* eodem colli-
 neat, ipsumque rectæ rationis dictamen huic sen-
 tentiæ sic satis prælucet. Sive enim maligni fit ani-
 mi unus productus testis, a se ipso non dissentiet,
 sibi non contradicet temere, a suis præconceptis
 sinistris opinionibus ægre se patietur divelli, sive
 honestus sit vir, *παρρησια* detegi, veritas in aprico
 poni, & quam turpiter sit externa rerum specie de-
 ceptus, ostendi nequit, nisi collatis invicem ratio-
 nibus circumstantiisque facti utrinque propositis
 & discussis. *conf. Puffend. de J. N. & G. 5. cap.*
13. §. 9.

*Transitus
 ad art. 30.
 c. c. c. fit, &
 ex natura
 quæstio-
 num quam
 periculosa
 res sint, do-
 cetur.*

§. IX.
 Quibus positus durus, exorbitans, & ex classe
 legum ad humanum modum latarum expungendus
 videtur *articulus 30. C.C.C.* ubi gloriosissimus Impe-
 rator seq. utitur verbis: *Eine halbe Beweisung/ als
 so einer in der Hauptsache die Missethat gründlich mit
 einem einzigen guten tugendlichen Zeugen beweiset/
 das heist/ und ist eine halbe Beweisung/ machet auch
 eine redliche Anzeigung/ Argwohn/ und Verdacht
 der Missethat.* Dixerat in *art. 23.* unum testem clas-
 sicum de ipso corpore delicti deponentem facere
 torturæ locum, verbis: *Aber so die Hauptsache der
 Missethat &c. & sic, uti alioquin ad nauseam usque
 fit in Nemesi Carolina, remiserat ad hunc art 30. to-
 tam causam, ubi tandem illam decidit, esse inde indi-
 cium efficax omni exceptione majus, ac suspicio-
 nem gravissimam enatam, si vel unus testis oculatus*
 de



de ipso facto illicito perpetratoque crimine deposuerit. Quam sanctionem dum prima vice legi, obstupui, post in illud extremum cogitationibus meis non semel prolapsus sum, ut cum variis de re forensi optimè meritis viris nempe *Dn. à Cocceji J. Civ. contr. tit. de quæstion q. i. Wissembachio ad eundem tit. n. 13. & H. Schottano*, juris quondam Professore Lugdunensi, at ob hanc opinionem locum Senatoris in suprema Curia Hagensi oblatum deprecante, torturam plane e foro Christianorum proscribendam, eandem ut rem fragilem, periculosam, ipsa morte duriolem, & quæ veritatem fallat, cum plerique patientia seu duritia ita contemnant tormenta, ut ex illis veritas nullo exprimi queat modo, alii vero tanta sint impatientia, ut magis in quosvis mentiri, quam pati tormenta velint. *L. i. §. 23. de quæst.* potius ad orcum damnandam esse, quam ut ob unius testis depositionem miserum inquisitum equuleo esse imponendum exquisitissimisque cruciatibus prope enecandum decernam. Videtur certe quæstio non plane illicita, & nullibi in sacris vituperata, præsertim cum Gentium Apostolus tortoribus veritatis indagandæ gratia verberandus traditus, non eo colore deprecatus sit eam, quod rectæ rationis dictamini contrariaretur, sed provocaverit saltem ad privilegium civitatis Romanæ *v. Job. Voet. Comment. ad ff. tit. de quæst. §. i.* quia tamen res dira, corporibus hominum noxia, imo quandoque lethalis est, nihilque tam inhumanum, quam ad imaginem Dei conditam creaturam temere sine extrema necessitate tormentis la-

Compend
-arum oit
-antibat
-adto muc
-atit op. ill
-itit mpt
-inotia
-iffit eud
-ritus

cerare ac quasi excarnificare, facile erit ad intelligendum, alea depositionis unus testis non debere periclitari causam. Nec enim plene nec semiplene probare poterit, cum non audiatur, nec harmonica quædam in ipsum cadat depositio, per supra plenius demonstrata, atque adeo si exitum rei spectamus, evanescent tria illa requisita a juris criminalis doctoribus in teste illo unico desiderata: α) ut deponat de actu immediate, β) ut sit testis omni exceptione major, γ) ut verbis dilucidis ac indubitatis fiat. *Carpzov, Pr. Crim. P. 3. q. 123. n. 53.* cum nullo ad deponendum debeat admitti modo.

§. X.

*Comparatio contra-
ria doctrina
cum orda-
lia, ac veterum divi-
nationibus insti-
uitur.*

Quod si forte haruspicina in re tanti momenti sit opus, si a filo rectæ rationis jurisve tramite temere recedendum, si æqui & boni post habitis rationibus ad meras ac fuciles conjecturas sit confugiendum, quid quæso prohiberet? quo minus pari jure adsumpta sacra hostia, sollennibusque per sacrificium additis precibus, studeamus ad liquidum perducere, an inquisitus sit nocens vel innocens; eadem deluderemur an illi fabula, eodem putido commentò; vel quod eodem recidit, ad magiam probandam sagas in aquam projicere, cribri rotationem in vero fure indagando adhibere, flammam inconvincendam ad altera applicare liceret. Demus hoc potiùs socialitatis nobis ingenitæ studio, custodiæque societatis humanæ, humano intellectui convenienti, præceptoque inde propullulanti, de non lædendis aliis, ut homo animal Deo carissimum, divinamque præ se ferens ima-



imaginem eo minus unius tantum testis præcedente depositione lancinetur, quo minus eidem veritas quædam apodictica attribui potest, non excarnificetur inique, non temere affligatur.

§. XI.

Gentiles ipsi suo nobis hac in re prælucent iudicio, quod *ex l. 20 ff. d. quest.* oppido liquet: quidam ibi maritus hæres suæ uxoris petebat pecuniam a Suro quasi ab uxore, se absente apud illum depositam, & ut ostenderet esse hanc fundatam suam intentionem, unum producebat testem, urgebatque ad majorem dictis conciliandam fidem, ut a quæstionibus fieret inirium, ancillaque super rei veritate torquebatur. Nec mora facilem se præbet iudex in exorando, ancillamque equuleo imponere non gravatur, quo facto res defertur ad Cæsarem, qui nullo negotio facti injustitiam vidit, iniquitatem detexit, pessimæ consequentiæ exemplum notavit, sententiamque quasi ex tripode dixit: quæstionem illicite esse habitam, testimoniumque unius hominis ad torturam sufficere non videri. Quod si itaque apud Quirites nequidem servilis conditionis homines, qui vix caput habere intelligebantur, vix è numero bestiarum eximebantur, & secundum legem I. & 3. ad Sctum Silanianum levibus sæpe numero ex causis quæstioni subiciebantur, adeo unius testimonii sorti subiacebant, ut tormentis essent obnoxii, quid ni nos Christianorum nomine insigniti eundem perversum modum explorandi veritatem detestaremur?

*Ex eleganti
l. 20. de
quæstion.
lux major
materia af-
funditur.*

C

§. XII.

*Hoc ulce-
roso saculo,
quo verum
candoris
vocabulum
amissimus,
& corrup-
pere ac cor-
rumpi pru-
dentia ci-
vilis nomi-
ne venit,
cautiones
DD. non
sufficere,
pluribus fit
restatum.*

§. XII. Neque etiam cautiones, quas exactè volunt, servari Doctores, quoad honestatem ipsius testis scopum satis feriunt, omnemque iniquitatis tollunt maculam. Quomodo enim homo etiam sagacissimus, & in hominum moribus conjectandis prudentior Zopyro, diligentior Claramontio, accuratior Barclajo, Camerario, Sennalto, Theophrasto, Cebete, aliisque recentioribus hoc exulcerato seculo, ubi verum candoris vocabulum quasi obsolevit, & tempora tempore temperare posse pro summa demum sapientia reputatur, ac prudentiæ civilis nomine, venit, satis explorari poterit, quis testis sit, *gut und tugendlich* seu uti Practicantium Patres loquuntur, qui fide dignus sit. Sane quoquis est pejor & callidior, eo magis artes fallendi solet occultare, se probum simulare, nihil nisi cum AGESILAO & FERDINANDO CATHOLICO religionem cultumque divinum prædicare, cum GULDENSTERNIO, Suecorum Regis CAROLI XI. Administro, animi sinceritatem ubivis crepare, vide *Bail. Dictionair. Histor. critique, voce Agesilaus pag. m. 93. in observationibus & Anecdotes de Suedes p. 108.* & in omni negotio ita se gerere, quasi nihil odio, gratiæ, intemptivoque affectui tribuat. Sed anguis dolî mali, improbiq; consilii alterum decipiendi, in herba delitescit, & amaritudinem suam in sinu abscondit. Exulat certe ac quasi relegata in perpetuum est prisca Germanorum sinceritas, quæ antea scribendi ansam dabat *Corn. Tacito, nullos mortales fide ante Ger-*

Germanos esse. Unde facile ad intelligendum est, quod, dum Judex exteriora saltem contuetur, interiora vero expiscari datum ipsi non sit, imprimis cum & regulæ Physiognomicæ, & semioticæ sæpe deceptrices reperiantur, etiam ipsum requisitū CAROLI V. ut testis ille unicus sit invulnerabilis, si ad exitum respicimus, corruat. Quin imo quantumvis quinque illa supposita, quæ habet *Martini in Comment. Forensi Ord. Jud. Sax. tit. 20. n. 152.* copulative in casu quodam concurrerent, neutiquam tamen cum boni & æqui rationibus conciliare queo, unicum istius modi testem ad dictandam torturam sufficere. Neque cum dictis pugnat tritum illud Juris Brocardicum, *quemque tamdiu præsumi bonum, donec probetur contrarium conf. Dn. Thomasi Diss. de præsumt. bonitatis.* Et si enim non negem, posse inquitum ipsum, antequam delictum imputatum rite probatum sit, in illo aliquale solatium sibi quærere, non tamen eo usque extendendum illud statuo, ut in præjudicium rei miserrimi, de cujus corio luditur, testis unicus ob incertitudinem modo demonstratam, in alterius damnum irreparabile pro habili ac fide digno statim reputetur; imo non heic sufficit, præsumi testem illum unicum bonum ac invulnerabilem esse, sed ut merita ejus ad fidem in judicio criminali faciendam judici quasi in oculos luceant, res periculi tam magni plena certè desiderat. Imo ubi leges expresse testes omni exceptione majores requirunt, ibi sane non sufficit, ut solummodo invulnerabilis quis præsumatur, sed ut actu talis

deprehendatur, fidesque ejus judici nota & explorata sit, tanti negotii ratio postulat. Quod, uti in duobus e depositionum harmonia nobis dijudicare licet, ita in unico teste ob prædicta, & fidei mortalis lubricitatem, ut loquitur *Huberus in præfat. ad ff. tit. d. jurejur. §. 13.* impossibilis prorsus censeo. v. *Cujacius 22. obs. 28.*

§. XIII.

*Obj. Archi-
reftoricam
potestatem
folius Prin-
cipis esse,
interpretis
verò esse
legem,
quantum-
vis duram
sequi, dilui-
tur.*

Neque etiam est, quod quis obganniat, involare nos hoc ipso in officium alicujus Principis, sacrilegium politicum nos committere, & contra *L. 3. C. de crim. sacril.* nos peccare, Legislatoris enim solius esse, inter jus & æquitatem distinguere, leges figere & refigere, decernereque, quo pacto salus, felicitasque publica debeat stabiliri, aut JCTi esse, Legem quantumvis duram sequi, suam voluntatem in principis voluntatem resolvere, obsequiique meram affectare gloriam, *L. 1. 9. ult. C. d. LL.* Sed ut taceam, interpretationes prudentum tot nova ex variis æquitatis coloribus apud Quirites induxisse, toties duritiem legum emollivisse, & magis rationabilem illis imposuisse formam, sicuti vel ex introducta querela inoffic testamenti adversus leges XII. Tab. videre licet, etiam idem quotidie occurrit, in variis aliis Nemeseos hujus Carolinæ materiis, ubi aliud mores, aliud jura ibidem scripta cantant. Id ipsum enim prævidisse *Carol. V. in præfatione* sua videtur, quando in tantum suam Ordinationem cupit valere, in quantum leges, moresque provinciarum aliud non introduxerunt: *Doch wollen wir / ut ver-
bis*

his Imperatoris utar, durch diese gnädige Erinnerung
 Eurer Fürsten/ Fürsten und Ständen an ihren alten
 wohlhergebrachten/ rechtmäßigen Gebräuchen nichts
 benommen haben/ & sic Imperii statibus vigore art.
 8. P. O. jus suum intactum ac illibatum sine dubio con-
 servare voluit, id quod etiam comprobant tot ab iis-
 dem emissa protestationes, extantes in *præfat. com-
 ment. in Constitut. crim. D. J. P. Kressii, Viri Clar.*
 Id circo salva tanti Imperatoris Majestate de justitia
 ac veritate iudicii in art. 35. C.C.C. extantis dubita-
 mus, nec simpliciter verum existimamus, quod pro-
 cedat assertum; Wo aber das Kindlein so küniglich er-
 tödtet worden/ daß der Mutter die Milch in denen Brüs-
 ten noch nicht vergangen/ die mag an ihren Brüsten
 gemolcken werden/ welcher denn in denen Brüsten
 rechte vollkommene Milch gefunden wird/ die hat des-
 wegen starcke Vermuthung peinlicher Frage halber
 wieder sich. Quæso enim quomodo individuo nexu
 forent copulata? lac adest in mammis ergo & puer-
 pera, ergo & infanticida detecta, ergo ad equuleum
 rapienda quæstionibusque veritas est extorquenda.
 Non sane magis, quam si quis per ineptam cogniti-
 nis sollennitatem captiosamque iudicandi formulam
 explorare ac pronunciare studeat, quænam virgo
 esse desierit, propterea, quod obstetrix præ via inspe-
 ctione talem putaverit, qua de re *vid. Hertium de
 oculori inspectione §. X.* Licet enim cum *Blumla-
 chero* ad istum art. foeminas non esse omni exce-
 ptione majores testes, nollem statuere, tamen id vi-
 cissim dari postulo *Cujacio obs. jur. L. 17. c. 27.* an sit
 virgo

virgo esse in difficili & pene impossibili, nec hujus rei unquam legi obstetricibus delatum arbitrium. Utrum vero ex pulmone natante, vel non colligiqueat, partum fuisse vitalem, iudicium meum suspendo, vid. cui volupe est *Dn. Thomas in cogitationibus de var. negot. forens. to. I. p. 75. seq.* ceteroquin fœmina vel virgines, licet vel maxime non sint gravidæ, neque etiam pepererint suppressis mensibus lac in mammillis gestare posse, cordatorum medicorum ævi hodierni non vana est opinio, add. *Gothofr. ad l. 15. d. adil. edicto.* Imo viris hoc quandoque contingere, posse, ex *Horstio in tr. de corp. hum. l. I. Exerc. 7. quest. 8. refert Matth. Stephan. in d. art. 36. de Barone quodam, qui, quoties voluit, mammis lac expressit, alia exempla habet Grantzius in defensione inquisitorum cap. 5. membr. 2. sect. 3. art. n. 170. seqq.*

§. XIV.

Neque hoc in uno illo, alterove usu venit articulo, sed in multis aliis, ita in *art. 106.* quænam ultimi supplicii adversus illum, qui blasphemiam in Dei param virginem commisit, sit pœna dura ac dira exponitur, dicitur enim ibi disertis verbis: *So etner die Jungfrau Maria schändet sol darum an Leib/ Leben oder Gliedern gestraffet werden.* Quod placitum desinet mirari, quisquis cogitat, quod Pontificii uno fere clament ore blasphemiam æque in B. Virginem & Sanctos committi, quam in ipsum Deum, *per text. statuimus 2. X. d. maled* imo obeandem causam blasphemiam in Deum, B. Virginem, aliosque Sanctos in *Recess. Imp. Aug. d. A. 1530. tit.*

von

Nemesios Carolina varios alios articulos usu non servari, ex art. 106. aliisque comprobantur.



von Gottes Lasterung eadem pœna indifferenter
coercetur, *add. R. J. d. Ao. 1495. 1500. 1548. 1577.*
Verum sanior hæc est protestantium assertio, cultum
quidem religiosum externum & internum nos &
secundū rectæ rationis dictamen, & secundū Sacram
Scripturam debere summo & perfectissimo Numini
Divino, non tamen Deiparæ Virgini aut Sanctis.
Si itaque contra Stoicos dogma istud adstrui ratio-
nibus potest, dari vitiorum gradus, etiam pœnarum
diversitas ex amertia illa seu aberratione illa a regu-
la est sumenda, quæ sane tanta non est in deturpando
ac profando nomen Mariæ, quanta in violando nu-
men divinum, so einer GOTT zunnisset / daß GOTT
nicht bequem ist / oder mit seinen Worten GOTT / was
ihm zustehet / abschneidet ut verbis textus utar.

S. XV.

Artic. itidem 172. ablata monstranzia, in qua
sacramentum reperitur sacrilegium esse commissum
asseritur, rogoque, ac vivicom burio expiandum
esse facinus pronunciat: So einer eine Monstrantz
stiehet / da das heilige Sacrament des Altars inne ist /
sol mit dem Feuer vom Leben zum Tode gestraffet wer-
den / nos tamen sublatis pontificum næniis rigorem
eundem emollimus, temperamus, & ad æquitatem
reducendo pœnam furti ordinariam, vel etiam pro
circumstantiarum varietate arbitrariam dictamus.
Non enim transubstantiationis dogma facimus
nostrum, & contra evidentem veritatem I. Cor. XI.
v. 26. 27. & cap X. v. 16. censemus, post consecrationem
omnem

*Nec pœ-
nam vivi-
comburii
illi, qui
monstran-
tiam surri-
puit, nec ta-
lionis pro-
miscuè isti,
qui libel-
lum fa-
mosum
consecit,
amplius
irrogari,
additur.*

omnem panem evanescere, & merum corpus Christi superesse, quare itaque melioris conditionis foret, aliis vasis aureis & argenteis étemplo surreptis? *Art. 110.* libellus famosus talionis pœna dicitur plectendus: Welcher jemand durch Schmähe-Schriften zu latein libellus famosus genandt unschuldiger Weise Laster oder Ubel zumisset / derselbe böshaffte Lasterer sol nach Erfindung solcher Ubelthat / als die Rechte sagen: mit der pœn, in welcher er den unschuldigen Geschmäheten durch seine löse unwahrhaffte Laster-Schrift hat bringen wollen / gestraffet werden; quis vero ideo dubitare velit, extra Saxon. arbitrarie libelli famosi autorem puniri *Carpz. Pr. crimin. qu. 98. n. 12.*

§. XVI.

Ipsum nefandum crimen Sodomie quo ad illicitam venerem cum eodem genere commissam, non ampli⁹ secundum rigorem Art. 116. puniri probatur.

In Art. 116. crimen sodomiticum nefandum, quod cum masculino masculus commisit, vivicomburio punitur: So Mann mit Mann / Weib mit Weib Unkeuschheit treiben / die haben das Leben verwirret / und man sol sie der gemeinen Gewohnheit nach / mit dem Feuer vom Leben zum Tode richten. Sed ut taceam, sæpius impune proh dolor! talia monstra hominum peccare, & quasi postliminii jure reviviscere pristinum Romanorum judicium: crimina pudicitia non tam ex malitia agentis, quam injuria patientis æstimanda esse, vid. G. Beyer. ad tit. Inst. de publ. jud. pos. 48. 49. add. Simon van Leeven. Cens. For. l. 5. c. 18. qui contendere ausus, neque legibus, neque moribus Mastupratores in ullam incurrere pœnam, ideoque merito castigatus à Struv. Synt. jur. civ. Ex.



Ex. 49. §. 43. vel ex ipso jure Saxonico quod alias in multis casibus non injuria Saxeum prædicatur, liquet, eosdem saltem decapitari, quod & usus aliarum regionum servat. v. *Carpz. c. l. qu. 76. n. 15.* ubi hanc Saxon. consuetudinem ratione non destituit, sequentibus evincit rationibus. Quis enim inficias ire inquit, sodomiam cum brutis animantibus exercitam longe atrociores ac detestabiliorem esse ea, quæ cum hominibus præpostere & contra naturam peragitur, atqui venerea exercentes cum brutis animalibus igne cremari expeditum est *Art. 116. C. C. C.* sequitur ergo mitiori aliquo supplicio puniendos esse eos, qui cum hominibus contra naturam cœundo, aliqua ex parte, & respectu Sodomix cum brutis peractæ levius peccant. *id. c. l. n. 20.*

§. XVII.

Art. 125. incendiariis omnibus dolosis promissuè vivicomburium irrogatur; *die böshafftigen überwundenen Brenner sollen mit den Feuer vom Leben zum Tode gerichtet werden/* neque tamen desunt, qui distinguunt an in civitate an in pago factum sit, incendium *Carpz. c. l. P. 1. qu. 38. n. 29. Coccej. Civ. Controv. tit. ad l. Cornel. de sicar. qu. 7.* quo posteriore casu incendium aliquanto levius puniri statuunt, quod de pœna gladii intellectum volunt. *Brunnem. ad l. 9. ff. de incend. & ruin.* Quisquis expendit monetam falsam scienter, in *Art. III.* condemnatur ad vivicomburium, sed id multis esse obnoxium limitationibus novimus omnes,

Distinguitur inter incendium in urbe ac pago commissum, licet promissuè in art. 125. combustionis pœna dictata sit.

D

§. XVIII.

§. XVIII.

Epilogus.

Quodsi itaque in aliis Carolinae hujus sanctionis articulis, quos omnes, praesertim *art. 126. verb. doch am Leben*/percurrere, & quomodo mores cum jure ibidem scripto contendant, ea qua par est diligentia docere, ab instituti mei praesentis rationibus prorsus foret alienum, a rigore recedere fas fuit, ac ad aequitatis socialitatisque principia illos accommodare, quid quaeso vetat? circa *Art. dict 30.* eadem observare, ita quidem, ut amore socialitatis potius fontes decem impune aufugere patiamur, vindictamque plena deficiente probatione judici supremo committamus, quam ut infontem unicum, praecedente unius testis aliquali depositione equuleo subjiciamus, tum demum quippe tuto licebit affirmare, jurisprudentiam nostram Criminalem non nimis terribilem, non praecipis esse tetricam, sed vera felicitate scaterere, bonorum omnium ubertatem ac affluentiam elargiri, atque sic satis superque esse rationabilem.

Tantum.



CO.



COROLLARIA.

I.

Deum existere & colendum esse, ratio dicit, sacra scriptura modum definit.

II.

Inique l. 2. c. 22. bella punitiva Grotius defendit, pretextu desumpto a possessoris impietate.

III.

Omnia licent in hostem, licet nulla videatur subesse proportio jactura quam ipse patitur, & quam antea intulit.

IV.

Male a Philosophis veteribus homo in illo a brutis distinguitur, quod sit animal rationale.

V.

Male ex verbis Capitul. Cæsareæ: Wir sollen und wollen colligitur a nonnullis, Imperatorem Statibus esse inferiorem.

VI.

*Non datur pretium intrinsecum seu virtuale, sed
omnia*

omnia, quæ heic prolixè differuntur, utilitatem non pretium rei ostendunt.

VII.

Non temere defert iudex juramentum, etiamsi causas habeat metuendi, ne alter pejeret, ne quidem tum, si jam semel pejeravit.

VIII.

Invidia quidem est affectus malus, ira non semper.

IX.

Sicuti non sequitur, Imperator cum Statibus ordinationes Politicas consiendi jus habet, ergo quoque delinquentes contra easdem immediate citare ac punire potest, ita etiam in particularibus Germania regionibus non procedit argumentum: Huic vel illi Magistratui jurisdictio in causis politicis ecclesiasticis, Criminalibus vel rem sitam concernentibus competit, ergo quoque immediate potest citare reum.

X.

Efflorescentibus Academiis salus publica & privata civium efflorescit.

XI.



XI.

Frustratoriam exceptionem sapit, ideo iudicium semel ceptum reddere velle elusorium, quod major dignitas eodem pendente subnata, novam pariat fori declinatoriam exceptionem, siquidem clausula rebus sic stantibus huc trahi nequit.

XII.

Cui jus Fisci competit, illi & jus puniendi.

XIII.

Jure civili petitorium ac possessorium cumulari nequeunt, jure Canonico cum fructu cumulantur.



Ue





* * *

Ut ductu Themidos nunc templum scandis ho-
noris

Sic honor atque Themis præmia digna ferent.
Hincque Venus lauro sua jungens præmia reddet.
Hanc magis acceptam, singula fausta precor.

*Nob. Dno. Respondenti ex animo de me-
ritis gratulatur honoribus*

LICENT. JOH. V. RUPERTI.

Med. Ord. Civ. Hamel.

Verum, qui dicunt, Te nomen & omen habere,
Lucifer ut læto nunciat ore diem
Sic Morgensterni, verus prænunciatus es quod
Et decus & laudes atque futurus honor
Jam fuerint merces, & præmia digna laborum,
Ernestina Tibi primitias iribuit.
Grattulor, atque opto ut, que jamjam gaudia carpis
Cælebs, & nuptum Te comitentur ea.

*In honorem Nobilissimi ac Doctiff.
Dn. Respondentis hæcce pauca
adjecit*

JOACH. FRID. PALM,

V. Synd. Hamel.

Ut Tibi cæpta fluant, semper feliciter opto,
Et thalami & Themidos præmia digna feras.

*Amico suo honoratissimo Dn. Morgensternio
pro Licentia disputaturo Gratula-
bundus apposuit*

CONRAD. JOH. FAUSTMAN,

Advoc. & Senat. Hamel.

Ser/ welcher nur sein Herzh der Weisheit Tempel
schenckt/

Und seinen Compass stets nach Pallas Schloffern
richtet

Wir nach Astræens Burg stets seine Segel lenckt/

Der ist/ dem diese selbst stets Ehren-Kränze sichtet.

Hey Bruder/ du hast nur nach Weisheit stets gestrebt

In dieser kontest du nur dein Vergnügen finden

Drum sieh man/ wie sie schon verdiente Kränze webt/

Um deine Scheitel tzt mit selben zu bewinden.

So lebe denn beglückt/ der Himmel sey dir hold

Dein Stücke müsse uns bald neue Knospen zeigen/

Und deiner Tugenden schon längst verdienter Sold

Der müsse ferner hin auf höh're Stieffen steigen.

So wünschet ergebenst

FRANCISC. ERIC. v. IDENSEN,

Patric. Hannov.

Atria Musarum jamdudum pandit Apollo,

En Tibi nunc laudis præmia magna parat.

Gratulor ex animo, fulgens quasi Lucifer almus

Stemmatis innumero sic Tibi surgat honos.

Pergito sic semper Juris defendere causas

Fructus namque Tibi non numerandus erit.

Rudi hæc Minerva deproperabat

D. ALB. FOERSTER,

V. Phys. Hamel.

Wo sich Gelehrsamkeit/ Verstand u. Tugend paaren/

Da kan Astræens Hand die Kränze nützer sparen/

E

Sie

Sie liebt/ sie ehret ihn hoch/ weil er ihr ächter Sohn/
Sie hält ihm nicht zurück den recht verdienten Lohn.
Mein Freund/ die künfft'ge Zeit läßt dich was bessers
hoffen

Der Tugend steht der Weg der Ehren immer offen/
Sie wird den Preis für Fleiß vermehren ferner gern/
Damit am Ehren-Pol du seyst der Morgenstern.

J. E. BERGHAUER,

J. V. C.

*Vade bonis avibus Tibi lataque premia carpe
Sertaque, jam quibus alma Themis tua tempora cingis,
Sic placido vultu ceptis Dens annuat opto,
Ut sint augurium felix decorisque futuri.*


*Sic Fratri dilectissimo ex intimo
corde gratulatur*

JOH. HENR. MORGENSTERN,
Amtmann. Neodorff.

*Sic sacrata Tibi Themidos sacraria pandis
Et pede felici limen honoris adis,
Dædaleas postquam juris superare salebras
Contigit, & latus premia læta capis.
Adspiret pronum Numen Tibi fronte serena,
Actaque successu sic Tua cuncta beet.
Hæc Frater ut meritæ læta incunabula laudis
Parturiant porro germina multa Tibi.*

*Hæc pauca Fratri per dilecto gratula-
bundus adjiciebat*

JACOB. GUNTH. MORGENSTERN,
Litterar. Cultor.





154562

VD18

ULB Halle
005 372 046

3




R





DIS





Farbkarte #13

B.I.G.

19.

22

19. 22
FUGURALIS JURIDICA

ENDENS
ART. XXX. C.C.C.
TIONEM:

NUS TESTIS
TORTURÆ
CUM?

QUAM
UMINE DIVINO
CTORITATE AMPLISSIMÆ
TIS JURIDICÆ

ESIDE
SIMO, CONSULTISSIMO
ELLENTISSIMO

ULRICO PESTEL,
MORALIUM PROF. ORDIN.
EMIÆ RECTORE,
LICENTIA

JURE HONORES ET PRI-
RALIA RITE ET SOL-
R OBTINENDI,

ANNO M DCC XXVI.
MORUM DNN. PROFESSORUM
IONI SUBJICIT
UTOR

S MORGENSTERN,
ALBERSTADIENSIS,

ODOFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.

19.